UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

10. Iejunium voto castitatis à Pontifice subrogatum, an obliget sexagenarium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-78172

Visual Library

probabile quidem eſt obligari; Ita Bordonus *in conſ.Re-* *gul.c.18.n.6.* at eſſe etiam probabile neutiquam obligari, *Ita Ioan. Sanch.d.* 54.*n.*8.*fin.* Ac. Tamb. *de jur. abb. loc.* *cit.5.in ult. edit.* Rodriq.*in comp.reſ.*74. *n.* 10. quia, ut *certum eſt*, niſi contrarium expreſsè conſtet; lex Religio- *nis proportionari* præſumitur cum lege Eccleſiæ.

9. Simile quid in quibuſcunque votis de jejunando *Si enim quis vovit* ſingulis Sabbatis, v. g. jejunare toto *ſuæ vitæ* tempore, additâ etiam clauſulâ *in perpetuum*, *probabile eſt* excuſari poſt annum ſexageſimum. Ita San- *chez lib.4. in dec.c.*11.*n.*54. Diana *p.*1.*tr* 9. *reſ.* 20. Fag. *l.ult. de pr. Eccl.q.*1.*p.ult.n.*4.*fin.* Laym.*l.*4.*tr.*8.*c.*2.*n.* 3. *Vota enim* jejunandi non præſumuntur(niſi contrarium *expreſsè quis* intendat) emitti,niſi ad modum legis Ec- *cleſiaſticæ*: & ratio ulterior eſt,quia poſt annum dictum *præſumitur* ſubjectum incapax jeiunij propter vires jam *cadentes*,atque adeò jeiuniis non obligatum.

Iejunium Voto Caſtitatis à Pontifice ſubrogatum, an obliget ſexagenarios.

10. Facit ad hoc argumentum Lectori non ingrata *quæſtiuncula*: Illuſtris quædam virgo exoravit à Sum- *mo* Pontifice Voti Caſtitatis diſpenſationem, ad Matri- *monium* cum pari adoleſcente contrahendum, impoſi- *túmque* fuit in voti commutationem jeiunium in qua- *libet* ſexta Feria, conſtante ſaltem Matrimonio, ſervan- *dum*: Annos produxit Mulier uſque ad ſexageſimum, *& ampliùs*, paríque fortuna vir; uterque tam validis *viribus*, ut adoleſcentiam agere videretur: quæſitum *fuit*: An obliganda Mulier eſſet ad proſequenda injuncta *à Pontifice* jeiunia?

11. Fuerunt Theologorum, quibuſcum ego quæſtio- *nem* communicavi, diviſæ ſententiæ: Negabant non- *nulli*. Primò, quia veluti matrimonium conſtabat, ita *conſtare* juxta Pontificis præſcriptum debebat jeiunium: Secundò, quia incongruum eſſet eam mulierem gaudere *voti* diſpenſatione, caſtitatem non ſervando, & negli- *gere* opus loco Caſtitatis impoſitum: Tertiò, quia ſubro- *gatum* ſapit naturam rei, cui ſubrogatur: *l.*5.*C. de rei uxo- riæ actione, c. Eccl.* 1. & 2. *ut lit.pend.* ſi ergo perpetuum *erat* Votum, perpetuum eſſe debet & jeiunium Voto *ſubrogatum*: Quartò, quia eiuſmodi ieiunij iniunctio vi- *detur* reduci ad hanc conditionatam conceſſionem: *Quandiu vis Matrimonio frui, tandiu exhibe jejunium*; *non* ergo reiicere licet jeiunium, ſi adhunc eidem datur *Matrimonio* frui.

12. Concedebant alij: Primò, propter illud fundamen- *tum*, quod modò attulimus, quia ſcilicet votum jeiunij *non* obligat, niſi juxta menſuram præcepti Eccleſiæ, idém- *que* propter parem rationem videtur eſſe in pœnitentiis *à Confeſſore* impoſitis; cùm igitur jeiunium tali mulieri *impoſitum*, vel æquipolleat voto, vel pœnitentiæ, eaſ- *dem* conditiones participabit, atque adeò menſuram, *terminúmque* habebit in anno ſexageſimo: Secundò, *non eſt* præſumendam plus Pontificem velle obligare *hanc* fœminam, quam obliget ipſemet Pontifex, prout *eſt* legiſlator univerſalis, obligátque ſubdito ad jeiu- *nandum*; ſed ipſe tunc non aſtringit Fideles poſt an- *num* ſexageſimum, ergo, &c. Tertiò, quia ratio funda- *mentalis*, cur ſexagenarius etiam robuſtarum virium ad *jejunia* non obligetur, eſt, quia tanta ætas ad debilita- *tem* vergit; jam peto, ſi hæc mulier, quando erat junior *in* gravem morbum incidiſſet, nonne excuſata fuiſſet à *tali* jejunio? Vtique, ut omnes fatemur: ergo & nunc *excuſabitur* poſt ſexageſimum annum, etiamſi videatur *eſſe* robuſtæ valetudinis: Probatur hæc conſequentia, *quia* ſexagenaria verè intrinſecè infirma eſt, cùm ætas *provecta* juxta illud: *Senectus ipſa eſt morbus*, magnis in- *firmitatibus* æquipolleat. Quartò, nunquam præſumi- *tur* adeſſe præceptum obligans, niſi de obligatione con- *ſtet*: at dubium ſaltem eſt; an hæc obligatio urgeat præ- *dictam* Mulierem; ergo illam non obligat. Neque dicas prævalere præceptum, quod poſſidet: dico enim ego prævalere libertatem, & exemptionem ſenectutis, quæ eſt certa; dubitari autem de præcepto, an ſcilicet hoc dictam ætatem comprehendat.

13. Ad rationes negantium reſpondere poſſum. Ad primam, præſcriptum Pontificis eſſe regulandum juxta morem ipſiuſmet Pontificis in legibus de jejunio feren- dis; non ergo pro tempore tam provectæ ætatis. Ad ſecundum, nego Mulierem negligere opus impoſitum: impoſitum enim jejunium fuit ſolùm pro tempore ante- cedente annum ſexageſimum, nempe juxta morem Ec- cleſiæ. Ad tertiam (ut interim alias explicationes taceam) dico opus ſubrogatum debere ſapere naturam rei, cui ſubrogatur, in favorabilibus. Vide *ſup.*16.§.4.*n.*35. non verò in odioſis, & ex alia parte communis eſt Doctrina, poſſe vota perpetua in actiones temporales à Confeſſa- rio, nedum à Pontifice commutari. Ita Sanch.*lib.*4.*in dec. c.*46. *n.*27. citans Leſſium, & Suarium, Ad quartam, ne- gandum eſt conditionatam illam conceſſionem eſſe per- petuam; dico enim eſſe regulandã juxta morem Eccleſiæ, pro tempore ſcilicet an ipſa conſuetudo; uſque ad annum ſexageſimum. Ex his igitur vides hanc ſententiam eſſe intra probabilitas terminos admittendam.

Infirmitas.

14. Excuſari à jejunio notabiliter infirmos, ac valetu- dinarios, res eſt certa, nimis, etiamſi ij in infirmitatem in- ciderint propria culpa. Ita DD. *mox* citandi. Idem dic de iis, quibus jejunium infirmitatem parit notabilem, ut ca- pitis vertiginem, ſtomachi dolorem, &c. Ita Fag.*pr. Eccl.*4. *lib.* 1. *c.*8. *n.*13. Trull.*lib.*3. *in dec.c.*2.*d.*7.*n.*4. Sanch. *lib.* 5. *conſ.c.d.*14.*n.* 10. idem de illo, qui ita ſtomacho debili friget, ut unicam plenam refectionem, quanta ad plenam nutritionem eſt neceſſaria, ſumere non poſſit; is enim co- getur ſumere duplicem, atque adeò legitimè jejunium violabit. Ita Sanch.*ibid.n.*11. Idem de eo infirmo, cui fortè conducerent ad ſanitatem jejunia: Ita idem *ibid.n.*2. tunc enim quia vere eſt infirmus, liberatur à præcepto jeju- nandi; eſto, per accidens proficuum aliunde illi ſit jeju- nium. Vnde, ſi non jejunet, peccat; peccabit enim con- tra Temperantiam, vel contra propriam Charitatem; non verò contra præceptum Eccleſiaſticum de jejunando. Idem de eo, qui noctu dormire per notabile tempus non poteſt, niſi cœnet, nimis enim eſſet oneroſum ſic jeju- nare. Ita Fag. *l.c.* Ioan.Sach. *d.*54 *n*13. Laym.*lib.* 4.*c.* 3. *n.*3. Neque hunc obligo manè jentare, ſèque ſerò plenè reficere: quo pacto jam jejunium ſartum tectum, ut ex ſupradictis patet, conſervare: Non Obligo, inquam, licet id commodè facere queat: quia nemo in jejunando eſt obligandus ad extraordinaria remedia, & ad relinquen- dum ſuum jus comedendi circa meridiem. Sic. Th. Sanc. *l.c.n.*10. Ioan. Sanch. *l.c.* Fag. *l.c.n.* 10. Idémque denique de eo, qui de nocte abſque perfecta cœna calefieri nota- biliter nequit, Ita Fag. *l.c.* Thom. Sanch.*l.c.n*, 10. quia id non contemnendum ſanitatis detrimentum judicatur.

15. Addidi in prædictis caſibus illud (notabiliter, vel notabile) quia notare volui, non quodlibet leve valetu- dinis detrimentum, quale eſt regulariter, v.g. duplex ha- bere cautemium, contra Ioan.Sanch. *d.d.*14.*n.*1. vel extem- poraneus, & brevis, remiſſúſque dolor capitis vel quid ſimile; ſed verò grave, (licèt fatear propter Eccleſiæ be- nignitatem, non neceſſariò graviſſimum) debere eſſe illud, quod à præcepto jejunandi liberum hominem red- dat. Inſuper non eſt expectandum ipſum actuale detri- mentum; ſufficit enim timor rationabilis de damno per jejunium inferendo: timor, inquam, non levis; ſed ma- li notabilis, notabilis timor.

16. Verùm enim ecce nodum non facilè à ſcrupulo- ſioribus diſſolvendum; Ecquánam ratione hujuſmodi gravitas eſt menſuranda? De gravitate timoris ſatis dixi, cùm rationabilem eum debere eſſe dixi; & com- muniter conſcientia ipſius jejunantis ſufficiet, quâ bona fide, ſive ex experientia præterita, ſive ex probabili ratione putat ſibi graviter nociturum jejunium: Ita

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN